

Viperina enim carne venena omnia, cum evinci, tum mirificè expelli, & in hominum salutem in dies experiri vim ejus alexiteriam efficacissimam, & non parvam etiam inter hæc duo intercedere similitudinem, jam cognitum est antea: nunc quoq; ad expellendas omnes materias venenosas & ipsa venena, carnem habere mirificam facultatem, tum ex propria ipsius viperæ natura, tum ex peculiari sui alimenti usu continuo.



DE VIPERÆ COITU, & partu, et an cum alijs misceatur, præcipuè cum Muræna.

CAP. IX.



ERPENTES omnes complexu adeò circumvolutæ coeunt, ut una existimari biceps possit, ut ex Aristotele tradit Plin. lib. 10. cap. 62. Uteri osculum in quod semen à matre immittitur per penem in postrema ferè caudæ parte residet, ubi vulva biceps, vel duplex, ex orificijs & lectionibus, dignoscitur, ex nostra pictura. Testatur idē Aristoteles, cui assentit Plinius lib. 11. cap. 37. hæc vulva viperæ, & intra se parientibus duplex, seu bifi-

E da